AD ANATOMIAM PHYSIOLOGIAM ET PATHOLOGIAM MULIERIS DISSERTATIO...

Francesco Santagostino

AD ANATOMIAM PHYSIOLOGIAM ET PATHOLOGIAM MULIERIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. O. Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Februarii 1847

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

SANTAGOSTINO FRANCISCUS

Fallavecchia in Prov. Ticin.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

PATRI OPTIMO.

Definitio mulieris.

Natura fertilissima omnium mater, postquam ad eam sui perfectionem pertigisset, nam eam ita perfectam, ut nunc est, mens humana circumscripta ab aeterno concipere haud potest, ipsa Scripturae sacra sic docente, quae successivam naturae creationem ab infimis creaturis inceptam et in perfectissimis terminatam, satis clare exposuit — postquam, inquam, natura ad eam sui perfectionem pertigisset, ut corpora sic dicta organica, seu potius vitam manifestantia procreant, tunc simul prospexit, auxilium in tanto labore quaerens, ulteriori propagationi corporum horum nobiliorem per se, induxitque in altioribus utriusque regni organismis sexus diversitatem. — In specie vero, ne genus humanum tantae nobilitatis perire posset, adnexuit natura viro mulierem, cum qua integrum efficeret hominem, et quam fecundando propagaret genus suum.

Quapropter definitionem dare cupiens mulieris, hanc a natura provida generatam matrem generis humani dicerem.

Haec definitio philosophica coosentanea est solum scopo naturae, et licet non explicitam det

Anatomiam, Physiologiam, Psycologiam naturae et corporis muliebris, hae tamen omnes huic definitioni qua fundamento superfrui possunt.

Solet autem Natura sapientissima homines diversi sexus ad hocce opus gravissimum, propagationem nempe sui generis velut invitare, quod per amorem sexualem fit, qui partibus genitalibus debite evolutis in utroque sexu excitatur.

Quapropter alii Mulierem definiverunt uti *Individuum repraesentans amorem*. Sed quum amor medium tantum sit, quo Natura utriusque sexus individua de functionibus propagationi prospicientibus admonet, ideo haec definitio vapulat.

Sed certe maximam activitatis Muliebris spheram explet amor, quod ex modica investigatione naturae sexus sequioris corpori successive succrescenti insitae, semper tamen ejusdem apparebit. Ejus omnis fere vita amor est, cumque sexus potior in genere aetate jam puerili, audax animo, et temerarius cum viris robustissimis paria tentat et cum tempore stupenda se posse agere somniat, ut crederes illum bellum naturae annunciare velle et quaeque maxima moliri: tunc puella inermis, meticulosa, pudica, sceptra, et omnia insignia summae potentiae et fortitudinis resignet seque retrahit, recondit, inque sua solitudine aut exiguo circulo ea facit, quae eam amabilem reddunt, potissimum tamen, quae feliciter amantibus necessaria sunt, ideo puellae in lusibus suis se ornant, nuptias celebrant, matres sollicitas, coquas laboriosas et similia imitantur. — Serius autem, et ubi adolescunt, necessitatibus corporis increscentibus stimulo sexuali evigilante, puellae totae quantae pro amoribus edu-

cantur et quidem sub omni Caelo, ut maritis probe contingat uxor et fidelis, prolibus autem optima mater. — Sed nec edoceri ad amorem puellae debent, edocentur sponte partibus genitalibus sese evolventibus, et eos ad summam perfectionem evehere suapte condiscunt; — Tunc nimirum e multitudine eas circumdante, virum ejusdem aetatis, desideria amoris explere valentem, ingenio facili, phantasia mobili, corporis gratia, mansuetudine, pietate in Deum et parentes, misericordia, indefessa industria, morum integritate, castitate intacta, aliisque virtutibus vel astutia muliebris propria, has virtutes exacte mentiente, nunquam satis perscrutanda, virum inquam capere, ejusdemque amorem incandere norunt, eumque sibi addictum retinere omni opera student, jam fructum amoris carpentem, insimul et ipsae deliciis summis amore fruuntur. — Cyclus iste vitae Muliebris durat a tempore menstruationis, seu evolutarum perfecte partium genitalium, usque ad cessationem ejusdem seu stadium tertium vitae sexualis, partiumque genitalium decrementi, annosque sic dictos climatericos. — Cum igitur amor tantus fit charactere muliebris, et simul medium naturae scopo suo potiundi, non erit ab re modica simul investigati amoris.

Est autem amor affectus cum nisu intimae conjunctionis cum re vel persona amata salva ejus integritate generatim. Amor autem in specie sexualis, cujus supra mentionem feci, est effectus cum nisu intime conjunctionis cum persona amata alterius sexus, salva ejus integritate, sed tantum avigilata vita sexuali, ut satis fiat cupidita-

tibus sexualibos, cum sensu praecordialis vacuitatis connexis, re ipsa autem, quia homini plurimi scient, ut satis fiat scopo naturae, ut hominum genus propagari, ut sic ipsa natura integra persistere queat. — Seu paucis verbis, amor sexualis est affectus, cum nisu intimae conjunctionis, evigilata vita sexuali, cum persona alterius sexus amata, salva ejus integritate, in scopum naturae — Juvabit haec dilucidare:

Quod amor affectus sit, quotidiana docet experientia, consentiunt in eo omnes fere Philosophi et Physiologi, idque simul demonstrabit ipsa definitio affectus, qui *est peculiaris physica, vivida interna sensatio, quae aequilibrium in anima seu mente umana, aut potius quietem sufferendo nisum peculiarem, conatum producit et functiones tam intellectuales, quam corporis illas modificat.* — Quod autem is affectus nexus sit cum nisu intimae conjunctionis cum persona amata alterius sexus et cum praecordialis vacuitatis sensu, satis probat effectum auctoritatem promeritum magni illius amatoris et poetae Nasonis, qui sequentia refert;

» Ergo ego dilectam, tantum conviva puellam
» Adspiciam? tangi quam juvet alter erit
. . . .
» Error et in vacuo pectore regnat amor.

Scopum autem amoris loculenter exponit pater ille eloquentiae, et summus de officiis hominum scriptor Cicero, ubi dicit:

» Commune item animalium omnium est conjunctio-
» nis adpetitus, procreandi causa, et cura quaedam eo-
» rum, quae procreata sunt. (M. T. Cic. de Off. lib. I).

Ex eo denique, quod individua utriusque sexus se fugiant, usque dum in iis natura suum opus terminasset, omni numeroque perfectam sisteret, seque quaerant, et mutuo inveniant, ubi totum corpus perfecte evolutum est, partesque genitales officio fungere valent, sequitur amorem sexualem nonnisi partibus genitalibus evolutis locum habere posse.

Petitur autem natura scopo, quem quaerit, in sexu sequiore, seu virgo fit mulier convenienter naturae per duorum individuorum sexus distincti amorem in effectum adductum, seu nisos intimae conjunctionis cum individuo alterius sexus abit in realem et intimam, quae tantum fieri potest, salva individuorum integritate, conjunctionem: quem actum tandem coitum, concubitum vocant, et qui ideo essentialem ponit conditionem propagationis generis humanis. Unde mulierem, tota vocis vi, non aliam nisi partibus genitalibus rite efformatis instructam, amoris igniculas non solum percipientem, sed simul ejus delicias degustatam, concipio, et ideo, cum mihi proposuerem de muliere scribere, sexum sequiorem tantum sub his rerum circumstantiis vivere valentem considerabo. — Considerabo Anatomice, Physiologice, Pathologice.

Quaedam de Muliere anatomice considerata.

Molier, oppositum viri, ad idem tamen genus humanum pertineus et viro inter se convenientibus characteribus formationis vicina multas tamen habet qualitates, quibus a viro discrepat, et quidem ex ea causa, quod natura propaga-

tionem generis humani ad concursum duorum individuorum diversi sexus restringere voluerit.

Unde haec diversitas maxime se manifestare debet in partibus, quae simpliciter propagationi sibi similium prospiciunt, seu genitalibus.

Nec tamen haec diversitas sexualis solum ad istas partes restricta est, sed vero extenditur quamquam minus in sensus incidens, minorisque gradus, et ad reliquum organismum et quidem jam a primo formationis organismi tempore.

Mulier humana, ad propagationem suae speciei creata, ut lex monstrat conservationis speciei a Lenhossek, instruitur singularibus organis propagationis, quibus ea normalis conformationis a viro vere tali absolute differt. Varia autem obeunt haec organa munera, juxta quae subdividuntur:

1. In partes genitales, quae ad susceptionem membri et seminis virilis et ad incitationem in his partibus jam exaltatae sensibilitatis sub coitu destinatae sunt. Huc pertinent vulva cum labiis pudendi majoribus, minoribus seu nymphis, clitoride, orificio vaginae in virginitatis statu hymene pro viso, per coitus aut partum lacerando ac carunculas myrtiformes formante. Porro pertinet huc est vagina.

2. In partes genitales muliebrum, quae ad secretionem et derivationem ovuli in locum congruum destinatae sunt: sic ovaria, ovula Graafiana continentia, quae avulsa post se cicatrices, corpora luctea dicta, relinquunt. — Porro tubae Falluppiae cum fimbriis seu sic dicto morsu diaboli.

3. In uterum, qui ad susceptionem et effor-

mationem rudimenti novae creaturae destinatum organon est.

4. Denique, quum mammarum evolutio cum successiva manifestatione et incremento vitae uterinae propriae incohet; quum sub functionibus uteri diversis ad communem tamen scopum procreationem nempe novi foetus reducendis, diversas edant et mammae mutationes et diverso subeant munera; et quum emortua vita uterina et mammae collabuntur, flaccidae dependeant vel adeo dehiscant, ut vix aliqua supermaneat sacrorum olim fontium vestigia, verbo: quum mammae in arctissimo nexu constituantur cum partibus genitalibus muliebris, et quum tantum in muliere maximum perfectionis gradum adipiscantur; ideo has hic loci nominare, partibusque, quibus mulier a viro absolute distinguatur, accensere licebit, et organa compellare nobilissima, quae infanti tenerrimo jam a matre avulso, novasque relationes ingresso optimum et convenientissimum praebeant pabulum. Hae sunt partes, quibus mulier a viro absolute differt, differt tamen illa et reliquis organismi partibus.

Modificationes conformationis.

Primum et ante omnia cuique sensibus externis investiganti et medio comparationis judicia ferre valenti de cujuscumque objecti characteribus, se offert ejus superficies, et hac superficie se manifestans objecti magnitudo et forma iste etiam in comparatione corporis muliebris cum virili se primum sistit ejus superficies externa, in qua sequentes occurrunt differentiae:

1. In generi brevius est corpus muliebre virili, quae differentia non tantum manifestat semet in trunco, quam vero in extremitatibus inprimis inferioribus, latitudinis differentia tantummodo relativa existente inferius uberius exponenda.

2. Forma corporis muliebris est levis, aequalis, rotundata, nec ossium asperis apophysibus nec vero musculorum torosorum ventribus bine et illinc turgida.

3. Cutis ipsa, multo tenerior virili, ea quoque undosa ferme nuda ita quidem, ut, quum vir pilis densis ferme in toto corpore hirsutus sit, mulier iisdem partibus instruatur, et iis tenerioribus vestiatur; in capite capillis, et quidem longioribus, mollioribus viro, in arcu supraorbitali superciliis, in palpebris ciliis, sub axillis glandebalis, pube in genitalibus magis ad montem veneris restricta crispa, nec versus umbilicum ut in viro assurgente, reliquis partibus aut plenarie nudis, aut hinc inde pilosis.

Superficie visa systemata corpus muliebre construentia judicanda sunt; quorum singula absolute minoris capacitatis sunt in muliere, quam in viro, excepto systemate animalisationis minimae celluloso nempe, quod in muliere, quod probe notandum, excellit, nec vero in puellis adhuc impuberibus, apud has dispositione tantum in pinguedinis accumulationem praesente. — Fuerunt praeterea Anatomicis celebratissimis magis dilatata vasa absorbentia, et firmiora, nec non ampliatae magis venae. — Ad haec systema nervosum praevalere musculoso physiologico-anatomicis observationibus patet, quod praedominium apud viros locum non habet, ibi systemate irri-

tabilitatis seu musculare praeponderante. — Quoad systema nervosum adhuc notandum quod id, licet praevaleat systemati musculari, tamen subtilius sit quam in viris. — Arteriae minoris sunt diametri, exceptis ramis in genitalia directis. — Systema osseum absolute minus etiam minorem massam continet sceleti, relate ad reliquam massam corporis, cum ai juxta observationem Sömmering, sceleta duo ex duobus sexus diversi individuis in flore aetatis constitutis annum vigesimum primum agentibus, 125 usque 130 libras appendentibus siccata ponderentur, tunc pondus sceleti virilis se habebit ad pondus totius corporis ut 10,5 : 100 · apud mulierem autem ut 8,5 : 100. — Ipsa autem ossa tenuiora sunt, nec non leviora, prout illa extremitatum imprimis inferiorum breviora.

4. Generali hoc discrimine terminato, specialem jam nunc singularum partium descriptionem dare conabor, et quidem; in capite muliebris virile absolute minore, lineamenta faciei conspiciuntur minus expressa, ea rotunda fere, praesefert prominentias paucas, minores, et est nuda. Cranium muliebre, quod docente Gall relate ad massam sceleti se habet ut 1 ad 5 ⅓, cranio virili ed reliquam sceleti sui massam se habente tantum ut 1 ad 7 ⅓, includit etiam maius cavum, quod tenet majorem relative quantitatem massae cerebri, glandulam vero pinealem absolute majorem. — Cavum oris, quod apud virum segmentum fere circuli format est lateraliter compressum, imo caeteris ossibus cranii etiam minoribus, tenuioribus ac levioribus existentibus, observarunt et dentes minores, et nonnunquam

eos sapientiae nunquam in lucem prodeuntes; nervum autem olfactorium in naso licet minori magis evolutum.

5. Collum longius, ac minori osse hyoideo provisum includit laryngem angustiorem cum minori rima glottidis magis elatam et elasticum, anteriore superficie plus rotundatum, unde defectus ipsius sic dicti *pomi Adami*. — Ultima vertebra colli respective ad caeteras colli vertebras longior reperta est.

6. Truncus, qui continet cavum pectoris et abdominis, characteres distingnentes plurimos et gravissimos exhibet anatomicos muliebris, partim partibus genitalibus, quas extremitatem inferiorem trunci singulares occupant cum iis virorum nunquam comparandae, partim conformatione partium propria, quas cum viris mulier communes habet.

Truncus ipse, ut est collatus cum virili in relatione ad extremitates, est major quam virilis, cavum autem pectoris non solum absolute minus est virili, sed principaliter in relatione ad cavum abdominis, ita quidem, ut cavum abdominis muliebre in relatione ad cavum pectoris amplitudine multum superet virile, cavum vicissim pectoris virile relatum ad cavum abdominis, multum amplitudine superet muliebre. — Quoad figuram etiam truncus muliebris multum differt a virili; apud mulierem enim refert figuram ovalem, oblongam, cujus maxima latitudo pelvim format, cujusque finis obtusus caput opo colli, acutior autem pedes tenet.

E contra truncus virilis inversae pyramidis praesefert forma, et latitudinem maximam in humeris

exhibet. — Si vero, juxta Camperum, circulus ellipticus ducatur in dorso, tunc humeri apud virum extra, et in muliere intra illum cadunt, illis sub eodem tentamine contraria ratione se habentibus. Thorax muliebris angustior non tantum ad cavum abdominis, sed et ad id capitis ad latera compressus est, et constat clavicula debiliori, nec ita incurvata ut in viro; tenerioribus et magis incurvatis costis, cartilaginibus costarum relativa majoribus, et arctato magis ac ⅓ parte breviore corpore ossis sterni.

Costa vera sexta inseritur propterea margini terminali inferiori corporis sterni apud mulierem, cum margini laterali inseratur apud virum.

Diaphragma vero anteriore parte inseritur cartilagini costae sextae verae, cum apud virum septimae solum inseratur. Quod autem in cavo thoracis absoluta angustiori etiam in eo contenta viscera minora esse debeant, suapte sequitur. — Propria est etiam tracheae conformatio, quae, docente Carus, tenerior quinque aut sex annulis cartilaginosis plus possidet quam virilis.

Abdomen muliebre est prominens rotundatum, earumque illius et longius et latius virili, ferma angustius tamen sursum versus, ubi circumscribitur thorace, sed latius multum deorsum versus, ad formationem cavi pelvis. — Tubus intestinalis etiam longior, haepar tamen minus. — Praecipuam attentionem merentur ossa trunci, quae partim ad formationem cavorum memoratorum faciunt et eorum parietes constituunt, partim sustentaculorum instar mutuae coalitionis partium punctum praebent. — Vertebrae spinae dorsi inclusus canalis, seu specu vertebrarum est

diametri absolute majoris quam in viro; in osse sacro foramina pro transmittendis nervis seu sic dicta *cauda equina* sunt majora, quam in viro. Sömmering observavit columnam vertebralem lumbalem majorem in muliere quam in viro. — Os sacrum est planius et ideo longius, ossa ilei magis extrorsum versus tendunt, ossa vero pubis conjuncta majorem arcum faciunt in muliere quam in viro; ideo pelvis muliebris ossibus simul tenuioribus constructa est amplior virili, globique praeseferl formam, quum apud virum conum inferiora versus arctatum construat. — Musculi ossa pelvis majora vestientes majores sunt omnino et magis evoluti, musculi lumbali fortiores, nates autem pinguiores, majores, praerogativa singularis muliebris. — Nervos, quod attinet et ante omnia medullam spinalem, haec juxta mensuram etiam Carus ejusdem, est fere in utriusque sexus individuo ponderis vel plane ejusdem, sed caeteri nervi pelvis sunt majores, sic nervus ischiaticus est major et omnes nervi musculorum pelvis; secundum Ackermann plexus nervorum hypogastricus fere duplo major est, quam apud virum; majores sunt nervi et copiosiores e plexu abdominali in genitalia descendentes.

7. Denique extremitatum forma teres et tenera, compages tenera, massaque mollis, elastica; in specie figura brachii et antibrachii mulieris est rotunda; manus graciles, formam in dorso pariter rotundam lubenter assummunt, digitis tenerioribus et magis acutis provisae. — Femora relative crassiora virilibus et magis divaricata; genua approximata, pedes graciles et minores.

Cave, putes tamen mi lector, has qualitates corporis ex propria partium corpus constituentium conformatione venientes, teneram structuram, graciles artus, faciem blandam et suavem, qualitates corpori singularem gratiam conciliantes, ita ut celeber Wieland ideale pulchri mulierem compellaret, omnibus individuis sexus sequioris, pari quantitate a natura; cave putes, inquam, eas conformatione corporis semper, ultimo et principali naturae scopo ut genus suum propagare possent, respondere; certe, sicut communiter, hic etiam exceptiones locum habent; jam enim, ut paucis complectar, videre potes enormem mulieris altitudinem, superficiem corporis asperrimam, artus torosos crenis musculorum notatos, fortitudine stupenda; jam iterum cernere potes, faciem virilem barbatam partibus genitalibus muliebris existentibus; jam, os dentibus longissimis, latissimis pruvisum, jam, iterum edentulum; saepius simul cernere potes et truncum virilis conformationis, vocem fortem, profundam verbo integrum habitum virilem, partes tamen genitales muliebres. Ego ipse novi hujus conformationis mulieres aliquot, quae tamen omnes, ut primo obtutu videretur, contra theoriam amoris opposita, seu debilem cum forti beni conjungente, viros fortes exacte ei curare norunt, et eos ipsos sibi subjugare, non tamen eorum amores sitientes extinguere. — Sed nec iis contingit fortuna, eo non obstante, quod exoptaverint proles, eas procreandi.

Quaedam de muliere physiologice considerata.

Sicuti structura organorum et etiam functiones fere eadem sunt apud virum et mulierem: una tantum, etiamsi ad eundem finem prospiciet, tamen vario modo perficitur apud virum et mulierem, illa est functio generationis. Sed nos dicimus e supra quod ex diversa conformatione partium genitalium etiam aliae partes oeconomiae humanae modificantur: sic, et ex diversa functione istarum, omnes aliae functiones organismi modificantur et illae subjiciuntur, etiam illis virium opponuntur.

Causae ultimae omnium phaenomenorum, juxta mentem philosophorum Naturae, sunt vires et quidem sibi et diametro oppositae: quapropter si mutua actio sexualis sexu diversorum individuorum frustranea esse non debeat, sed vero fertilis, tunc e physiologica consideratione: muliebris prodire debebit; quod mulier vi alterius qualitatis, et vis alterius productis excellat, vir iterum alterius: secus enim explicare nequit, quomodo foecundatio atque foetus generatio perficiatur, nec sexus sequior matris generis humani nomen sibi unquam comparare potest. — Viget tamen haec oppositio virium in sexus distincti individuis, quam nunc, in quantum ad vires tenues admiserint, e scriptis doctissimorum virorum, ego ipse enucleare conabor. — Viget autem haec oppositio virium ita, ut se in viro productionis organicae perfectione majori patefaciat, vice versa autem in muliere Manifestantur autem istae oppositiones ·

1. Tempore, quo utriusque sexus individua indigent ad sui efformationem perfectam; est enim ea lex naturae, ut in efformationem perfectam omni ex respectu nobiliorum corporum plus temporis impendat: sed generalis est observatio, puellas citius maturitatem assequi et duo tres annis citius menstrua fundere, quam vero pueri pubescant, secretionisque uberioris seminis, amoris erga sexum alium sensum excitantis, indicia percipiant. — Superest enim juxta Anatomes et Physiolog:, ubi in muliebre efformatio ulterior cum terminata efformatione systematis animalitatis terminatur, in viro evolvendam systema cerebrale, nec non nervosum.

2. Corporis habitu: quum corpus virile absolute majus et perfectius caput gerit majus, facies lineamentis magis evolutis etc. etc., tunc corpus muliebre universim imperfectius se oculis sistit et praeter quod absolute minus sit, partes solido molles tenet laxiores; ex qua tenera conformatione, conformationi robustae in viro praesentis opposita, simul explicatur propria et singularis membrorum muliebrum agilitas, gratiam sic dictam procurans, et statura gracilis, placens.

3. Manifestatur etiam haec oppositio, si vegetatio et animalisatio assumantur. Praevalet enim in viro systema vasorum sanguiferorum, prout apud mulieres systema vegetativum, et quum sanguificatio major majorem vitam supponat, vita autem se sistat, qua processus successivus et tardus sui combustionis, sic majori vita in viro praesente, major est etiam particularum corporearum nec non virium consumptio; unde major restaurationis necessitas sequitur, majorque ad-

petitus, quem viri habent in cibos, molestiarque sensatio famis: cum e contra in mulieribus ristauratio cita deperditarum particularum nec non sanguinis, lactisque copiosa secretio, functione mammarum per partum suscitata, ac major particularum liquidarum relativa quantitas; denique pronitas in obesitatem major ex minus evoluto systemate sanguificationis systematis digestionis, assimilationis, reproductionis, ut ex superius dictis patet, superpondio explicatur.

4. Oppositio etiam manifestatur seu tantum magna differentia inter virum et mulierem systemate nervoso considerato; quod summae dignitatis solum in viro ad summam sui evolutionem et perfectionem deducitur, ex hac multa fluunt, quum enim in universum debilius et subtilius sit systema nervosum mulieris apparet etiam ejus sensibilitatem majorem, reagendi vero potestatem minorem esse. Quapropter sensuum, qui omnes nervorum ope reguntur, adest quidem subtilitas, irritabilitate tamen et acumine sensationum minoribus: sic, oculi muliebras erga vividam lucem, colores intensos, sunt sensibiliores, immediate tamen et recta distinguendis omnibus impressionibus minus apti: sic, aures sunt sensibiliores erga aliquem sonum intensum, et aliquibus proprie et peculiariter afficiuntur, quin tamen iis facultas ita frequentes, ut in viris inesset, tonos musicos accurate distinguendi: sic, se etiam habent gustus, olfactus et tactus, major est in illis irritabilitas et citius morbose exaltanda sensibilitas.

Quoad motum, licet sensibilius et debilius sit systema nervosum in corpore muliebre, tamen

subordinatum est huic systema musculare ac osseum, quapropter motus corporis muliebris cum minori quidem energia perficiuntur, sed majori cum facilitate ac gratia. — Quod autem systema musculare magis subordinatum sit systemati nervoso, sequela est imperfectorum organorum respirationis, ac minus evoluti systematis haematophori.

Quod vitam denique intellectualem concernit, quo propria mulieris animi affectio, temperamentum et passiones pertinent, est illa vere ideale latus organismi ipsius debilioris vel sicuti, dicerent Allemani, negative polarisati. Cum enim in hac vita distingui possint mens, animus et voluntas, ex his facultatibus in muliere ese evolutae erunt, quae minorem organismi perfectionem demonstrant. — Ideo non est tanta energia vis intellectualis possibilis in muliere; campus immensus scientiarum, subtilisque speculatio, firmum judicium, ratio sublimior in rerum causas profundius indagans, viris magis propria sunt: dum animus muliebris subtilior, variabilis, ingeniosus passionibus regitur, et reliquis vitae intellectualis inferioribus facultatibus, praeceteris vanitate, misericordia, mansuetudine, levitate, novarum rerum cupiditate, propria astutia, ignavia, simulatione, nec non illa plurimum divexante zelotypia; inest praetera propria dexeritas transeundi ex serie una repraesentationum in aliam ut saepe videre est, e fletu in risum et viceversa, qua effectus.

Ex his simul intelligitur cur systema nervosum muliebre tam facile exaltationis summae capax sit, curque magnetismus animalis maxime

tantum in sexu sequiori miram et stupendam virtutem suam exerat.

5. Etiam differentia inter virum et foeminam manifestatur in singulis partibus systematum organismi: apud virum magis perfecta est secretio et excretio, quando apud mulierem assimilatio et productio praevalent.

Eadem organa, quae apud virum semen secernunt et excernunt, testiculi nempe et vesiculae seminales sunt in muliere assimilantia et producentia vocantur ovaria et uterus. — In systemate sanguifero etiam differentia observatur; dum in viro praevalet systema arteriosum, in muliere e contra venosum. — Quum respiratio verus sit arteriosus processus, maximum tantum in viro potuit adipisci perfectionis gradum: sic Autenrit ait » arteriositas est verus processus oxidationis, qui eminet in viro, in muliebra venosi tota praevalente, hydrogenatio viget. — Ideo in ossibus viri major est copia terrarum oxidatarum et major rigiditas, quum in muliere hydrogeniose cartilagines et musculi molliores et flexibiliores sunt. Systemati nervoso etiam magis subjectum est systema musculare; pinguedo autem et textus cellulosus, qua hydrogenicae substantiae, copiosissimae sunt in muliere.

6. Ab hisce omnibus observationibus, quod in muliere principaliter vigeat reproductio, in viro autem summus animalisationis gradus, optime deduci potest mulierem esse destinatam propagationi generis humani, esseque objectum, in quod vir, vires suas vivificantes effundat, figat, et ulteriori evolutioni committat.

Quaedam de Muliere Pathologice considerata.

Ut ex brevi supra praemissa dispositione mulieris patet, corpus ejusdem iisdem, quibus virile constituitur systematibus, et differt solummodo horum systematum diversa ad se invicem relatione, qua propter etiam morbos omnes, exceptis tamen adfectionibus partium genitalium, quibus sexus potior obnoxius est et in mulieribus certo reperies, sed tantum pro sexu et individualitate varia, varie modificatos. — Sed in Anatomica descriptione simul adnotari, mulieres habere quaedam organa, quibus a viris absolute distinguuntur, quorumque functio propria et singularis est, et quae ideo adfectae exhibent morbos tantum in hoc sexu possibiles et huic sexui proprios. — Quapropter generatim erunt morbi mulierum iis virilibus communes; secundo autem erunt morbi mulieribus proprii, nempe ex laesa functione sexuali emanati, tam universales, quam topici. De morbis prioris classis ea adnotari debent, quae ex constitutione mulieris propria tantum corpus muliebre absolute feriunt, et quidem:

Major est vis potentiarum nocivarum in genere, si eae in corpus muliebre agant, neque est tanta in eas reagendi potestas, quare major iis inprimis irritabilioribus inest in morbos praedispositio, infinitaque et se successive excipiens fere morborum series. — Sed ex minus energica reactione, ex debilitate mulieris patet etiam, quare intensitas morborum ex influxu potentiarum nocivarum in corpus muliebre ennata minor sit.

Porro, in quo quis perfectissimus in eo quaeritur etiam, sed cuique notum est, quod in muliere praevaleat vegetatio, quare etiam vegetationis morbi in muliere copiosissimi. — Ex eo etiam, quod maxime evolutum sit in muliere productionis systema, explicare potest, quare data conditione, ipse organismus plus valeat in sufferendum morbum, magnamque exhibeat vim medicatricem. — Denique ex sensibilitate nimia organismi muliebris fluit, quod plurimos morbos muliebres symptomata nervosa comitentur.

Quod autem morbos ex laesa functione sexuali enatos concernit, de his notandum, quod antequam perfecta maturitas, evigilataque sexualis vita semet stiterint, prouti etiam emortuis functionibus sexualibus ingruenteque senectute, ii plane nulli aut paucissimi sint. — Tanto major autem est morborum caterva functionibus sexualibus in vigore constitutis, et diversissimae sunt morborum formae, quibus, in laesis, se manifestant, jam universalium, jam topicorum; ita quidem, ut pater Medicinae Hippocrates, *omnes fere morbos mulieribus proprius ex uteri functione laesa promanentes, demonstrare conaretur.* — Plato autem pronunciaret, *uterum esse animal ferox, quod si cupiditatibus ejus satis non fiat, per totum grassetur corpus et immoderatos producat motus.* — Copiosissimis autem mulier sexui propriis vexatur morbis, quia tunc se in maxima oppositione ad virum monstrans, functiones sexuales, quas puellae prout et vetulae vel plane nullas, aut paucissimas perficiunt, nunc omnes adimplet.

Menstruis comparentibus et evigilata partium

genitalium propria vita, praeter, quod ipsa menstruatio suas habeat difficultates, ipsae partes genitales jam nunc majorem receptivitatem adipiscuntur erga influxus noxios variaque ratione laeduntur; evigilat tandem amor sexualis et ejus desideria, saepius dirissimorum morborum causae; sed si desideriis amoris satis fiat, sequitur conceptio et graviditas, quae rursus suas habent molestias; partus autem, quae et quanta pericula adferat, foeminae apparet, quod ea in proprias plane disciplinas redegerint docti viri; sed denique nec puerperium nec lactatio immunes sunt morborum invasionibus.

Conclusio.

Minime tamen credas, naturam ita crudelem fuisse scopumque suum modis, quo mulieris sanitas et vita periclitatur, obtinere voluisse; injuriosus esset certe in naturam, qui hoc statueret; namque totum propagationis opus, in naturae conformiter viventibus animalibus, tam facilem habet decorsum, ut nequidem morbi nomen vel in uno sui stadio mereatur.

Quin exemplum quaeras in animalibus aut hominibus feris, ut considerentur, quaeso, nostrae ruricolae fortes, quae sub tota graviditate labores graves perficiunt, pertuque peracto jam altero die labores continuant. — Sic in possessione mihi pertinente vivet mulier rustica cujusdam de nomine Pignoli, quae robusta jam *septem* post invicem in lucem edidit proles vivas, praeterito autem anno mense Julio secus sub toto graviditatis tempore sanissima, quum

lintea in horeo dominae terrestris laevigaret, corripitur subito doloribus partum annunciantibus utque aquae abruerunt, et spatio quadrantis horae, ut domina terrestris retulit, duas viris, adjuta alterius indoctae rusticae opera, in lucem edidit proles sanas, et tum demum se contulit, et quin magnum virium dispendium adcusaret, decumbit, sed altero die jam mane ego ipse eam in culina pedibus insistentem hilarem et pro neonatis pultem perantem deprehendi; prolibus tamen serius duobus diebus post invicem mortuis. — Unde patet, ut etiam ex aliorum millenis observationibus, quos hic loci exponere tempus mihi non est, aliam esse debere harum infirmitatum caussam; et quidem celebres de muliere scriptores asserunt, quod pronti caussa multiplicationis morborum in genere consistat, ut ita dicam, in civilisatione majori hominum; sic etiam multiplicatio morborum muliebrium repeti debeat ab eadem causa.

Et certo huic sententiae facile quisque subscribere potest; imprimis, si enim iis gentium antiquissimarum, Romanorum, Gallorum, Germanorum et reliquorum relegerit historias, eorumque sanitatis statum deteriorem invenerit, pronti temperantia et naturae conveniens in vivendi ratione simplicitas, luxu et luxuria invalescentibus, eos dereliquit.

Quingentis triginta tribus fere annis stetit jam Roma superba, deque trono altissimo populus Romanus fortissimus toto fere orbi subjugato, quingentis triginta tribus fere annis imperavit, quin in morbis suis paucissimis aliorum, quam vero empiricorum auxilio indignisset. — Certum hoc

est, quod eousque, donec morum integritas, vivendi rationis simplicitas et indefessa laboriositas exercuerunt Romanos: illos paucissimorum morborum vel nomina novisse. — Sic, e. g. Coryza Romae longo tempore ignota fuit vel ita rara, ut mulieres Romanae nunquam nasum emungerent, et si quam nasum emungentem deprehenderent, pro impura declaratam contemnerent et pellerent, unde Juvenalis: (Sat. VI).

Collige sarcinulas dicet libertus et exi
Jam gravis et nobis es, saepe emungeris;
Ocyus et propera: sicco venit altera naso.

Sed opibus Romanorum increscentibus, impopulatione adaucta, vitaeque genere immutato, ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate libido et superbia invaserunt, fortuna simul et sanitatis status immutata sunt, ita quidem, ut eo tempore impopulatione circiter ad duos milliones increscente, morborumque novorum et copiosorum e luxu et luxuria promanantium insultationibus cogerentur medicum Archagetum ex Peloponeso, qui sanitatis perverso statui succurrerit, vocare, illi domum propriam donare, eumque in civium numerum assumere.

Sic natura est aequa justitiae ministra, et etiam illa omnes in tantum derelinquit, qui eam secus solertissimam matrem derelinquunt in quantum ipsa derelinquitur.

Hic supersedeo ulteriori investigationi Pathologicae mulieris, bene gnarus, quod labor iste non sit adaequatus viribus aream amplissimam scientiae pulcherrimae et utilissimae medicae nunc primum ingressi.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Scarlatinam nervosam raro primariam dari.

2. Morbos haereditarios determinatis vitae periodis evolvi.

3. Senectam non ab annis, verum a specialibus individui conditionibus metiri.

4. Eadem alimenta pro diversa forma, qua adhibentur, diverso temporis spatio assimilari.

5. In tabo gastro-enterico frequentissimum cachexiarum fontem delitesci.

6. Prognosim morborum pro diversa hominum aetate speciatim modificari.